



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio XX. De nonnullis excommunicationibus in particulari ab homine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Alix.

13
Sub qua ob-
ligatione
seruanda
sint ha care-
monia.

excommunicatus erat, in Ecclesiam, sed excommuni-
catum petentem veniam ad ianuam Ecclesiae, in
illam introducendam esse cum recitatione Psalmi
penitentiae, ut ibi absoluitur. Vnde Abbas in
c. Cum desideres, de Sent. excom. n. 6. inquit, Praefito
iuramento de parendo mandatis Ecclesiae, introducat in
Ecclesiam cum Psalmo penitentiali, &c.

De his ergo caeremoniis omnes auctores docent
non esse de substantia huius formae, sed validam ef-
fectum si omittantur, ut patet ex Syluestro, Ange-
lo, Caietano, & aliis Summistis, Nauarro c. 26. nu. 8.
& dict. c. 1. de penit. d. 6. n. 54. & Couarr. c. Alma. p. 1.
§. 11. n. 11. Addunt vero teneri in conscientia sacer-
dotem qui absoluit, eas non omittere. Non tantum
in publica absolutione, sed etiam in occulta, quan-
tum ad ea quae commode fieri possunt. Et intelli-
gunt, quando excommunicatio iusta fuit, & abso-
lutio simpliciter datur; nam si excommunicatio fuit
iniusta, vel si solum datur absolutio ad certum effe-
ctum, vel si solum est absolutio ad cautelam, ex om-
nium sententia non est necesse caeremonias adhi-
bere. Et idem dicunt, si absolvens non sit sacerdos,
quia illa solennitas videtur propria sacerdotalis
muneris. Denique si necessitas urgeat, vel alia ratio-
nabilis causa intercedat. Sine illa vero aiunt non o-
mitteri has caeremonias absque culpa. Quod verum erit
prudenter consideratis circumstantiis, & con-
suetudine, quae in hoc magnam vim habere potest,
& secluso contemptu & scandalo non existimo pos-
se hic interuenire peccatum mortale ob aliquam om-
missionem, quia res non est adeo grauis, nisi fortas-
se, quando publica & solennis absolutio danda ef-
ferat ad Ecclesiae satisfactionem.

DISPUTATIO XX.

De nonnullis excommunicationibus in particulari,
quae ab homine ferri solent.



BS OTIVMVS ea quae ad genera-
lem doctrinam de excommuni-
catione maiori pertinent. Ex
quibus definienda sunt omnia,
quae in singulis seu particularibus excom-
municationibus desiderari possunt. Qua-
propter non sine apparenti ratione possumus
hanc partem praetermittere, praeter-
tim cum scientia ad indiuidua non descendat,
eo quod sint quasi per accidens, & in
infinitum multiplicari possunt. Quod sane
in excommunicationibus ferendis, praeter-
tim ab homine, ipso usu satis constat. Nihil
ominus tamen, quoniam materia moralis
vtior est applicata ad particularia, saltem
ad aliqua, ideo de nonnullis excommuni-
cationibus praecipuis, & quarum cognitio
in praxi magis necessaria est, dicendum ef-
se censuimus. Est autem excommunicatio
vel ab homine, vel à iure. De priori dice-
mus breuiter in hac disputatione, de alia,
quae fusior est, in sequentibus. Excommuni-
catio item ab homine frequenter est cō-
tra determinatam personam in particulari
causa. Et de hac vel indiuiduis eius nihil
possumus dicere, quia est res infinita, & nul-
lis principiis comprehendere potest, praeter
ea quae generaliter tradita sunt, & sufficiunt
ad singulos casus definiendos. Alia item ex-
communicatio ab homine, quae generalius

A fertur ad aliquid praecipuum, vel vitan-
dum, diciturque generalis sententia, in mul-
tis aequiparatur statuto seu legi, licet in aliis
differat, ut in superioribus declaratum est:
hæc (inquam) excommunicatio etiam ferri
potest propter varias causas, vel actiones,
quae possunt in infinitum multiplicari, so-
lumque materialiter differunt in ordine ad
talem censuram. Ac propterea etiam in his,
nec necessarium est, nec possibile per om-
nia indiuidua discurrere. Duo tamen sunt
ordinarii casus, quibus solent conscientiae
implicari, scilicet de excommunicationibus
quae ferri solent ad restitutiones facien-
das seu soluenda debita, seu propter debita
non soluta, & de iis quae feruntur ad denun-
cianda crimina, aut alia secreta reuelanda,
& ad ferendum testimonium, vel proden-
das scripturas, &c. Et ideo de iis duabus in
particulari dicere visum est.

SECTIO I.

Virum Iudices Ecclesiastici licite & valide possint
pro causis temporalibus excommunicare, ferre.



Ratio dubitandi est, quia excommuni-
catio est spiritualis poena & medi-
cina: ergo ad curationem animae ad-
hibenda est, & non ad temporalia
incommoda refarcienda: nam hæc
cura vindicandi, aut refarciendi temporales iniu-
rias ad civilem potestatem per se spectat: ergo non
possunt iudices Ecclesiastici hoc titulo assumere
gladium spirituale. Et confirmatur, quia alias li-
citur hoc modo excommunicationem ferre
contra personam certam, & cognitam, ut contra
Petrum, de quo constat furatum esse hanc vel illam
rem, nisi illam restituat: consequens autem est cō-
tra communem usum. Sequela patet, quia non est
maior ratio, quando persona incerta est quam cum
est certa. In contrarium vero est usus Ecclesie feren-
di hanc censuram ad hos fines, scilicet ut restituatur
ablata, soluantur debita, reuelentur occulta, &
similes qui temporales sunt.

Suppono primo non esse per se malum, neque ex-
tra Ecclesiasticam potestatem ferre hanc censuram
eam ordinando aliquo modo ad praedictos fines. *Non est extra Ecclesiasticam potestatem ferre hanc censuram ordinando aliquo modo ad praedictos fines.*
Hoc certissimum est: nam si hoc esset vel per se ma-
lum, vel extra Ecclesiasticam potestatem, esset in
Ecclesia grauissimus quidam error in re ad mores
pertinente: quod impossibile est. Deinde hoc colli-
gitur ex Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de Reform. ubi & re-
fert hanc consuetudinem esse in Ecclesia ferendi
excommunicationem monitionibus praemissis ad
finem reuelationis (ut aiunt) aut pro deperditis, seu subtra-
ctis rebus: & eam consuetudinem supponit honestam,
& iustam esse, sobrie tamen, & magna circum-
spectione esse exercendam. Quapropter adhibitis
quibusdam circumstantiis idem Concilium eam moderatur.
Prima est, ut à nemine prorsus praeterquam
ab Episcopo tales excommunicationes decernantur.
Existimo autem nomine Episcopi comprehendere
etiam Vicarium generalem Episcopi: nam quoties
aliquid Episcopo conceditur, & non exprimitur, ut
per se, & non per alium faciat, intelligitur etiam per
Vicarium posse id efficere: ut in superioribus tactum
est, licet enim vnum & idem censetur esse tribunal,
eademque iurisdictio Vicarij, & Episcopi, iuxta c. 2.
de consuetud. in 6. Imo existimo sub ea voce com-
prehendendos esse Abbates: vel alios praelatos ex-
ptos,

Iptos, qui Episcopalem habent iurisdictionem, vt in simili dictum est in superioribus, tractando de iurisdictione ad ferendam censuram. Solum ergo excluduntur inferiores iudices subordinati Episcopis, vt solent esse Visitatores, & alii Archiepiscopi, vel Archidiaconi, &c. Secunda conditio a Concilio posita est, vt ex re non vulgari, causae locus esse non possit, tunc praesens monitionibus, & durante consummatione ad talem excommunicationem procedatur. Hec Concilium ibi, quantum ad rem praesentem spectat. Ex quibus plane colligitur habere quidem Ecclesiam hanc potestatem, & licite illa vti, si ministri eius prudentiam, & moderationem seruent.

Superest vero explicandum quae sit legitima causa huius censurae, quae vt propria eius ratio, vt inde constat, quo modo temporalis causa possit esse finis eius. Dixerunt ergo aliqui Episcopos non posse ferre hanc excommunicationem, nisi supposita aliqua graui culpa in eo, contra quem fertur. Vnde aiunt, si ille securus est in conscientia non peccasse mortaliter ante illam excommunicationem latam, nimirum non restituendo, aut non reuelando secretum, securum etiam esse posse in conscientia, quod talem excommunicationem non incurrit. Quae sententia fundari potest, quia supra diximus, excommunicationem ferri non posse, nisi propter mortale peccatum. Veruntamen sano modo intelligenda efficacia est. Duobus enim modis intelligi potest, esse necessarium praesupponi peccatum mortale (de hoc enim sermo est) ad huiusmodi excommunicationem. Primo, vt talis excommunicatio ab homine lata, non possit ab aliquo incurri, nisi prius aliquod mortale peccatum committat, transgrediendo Ecclesiasticum praecceptum. Et in hoc sensu est res clara, & indubitata ex dicto principio supra posito. Secundo potest esse sensus, excommunicationem hanc non solum priusquam contrahatur, sed etiam priusquam feratur, etiam sub conditione, debere necessarium supponere aliquod crimen, vel peccatum commissum in acceptione, vel retentione rei alienae vel in non manifestanda aliqua veritate, & excommunicationem ad hoc tantum posse ordinari immediate, vt fidelis a tali peccato cesset, vel pro illo satisfaciatur. Et fundamentum esse potest, quia haec excommunicatio ab homine est terminus fraternae correctionis, iuxta illud Matth. 18. Si Ecclesiam non audieris: correctio autem fraterna supponit in proximo peccatum mortale, stricte loquendo de correctione, per quam fratrem lucratur, de qua est sermo Matth. 18. Et confirmari hoc potest ex c. Romana, de Sent. excomm. in 6. in versic. Caueant etiam ne tales sententia excommunicationis, siue specialiter, siue generaliter in aliquos profuturis culpis, videlicet, si tale quid fecerint, vel etiam pro iam commissis sub hac forma, si de illis infra tale tempus non satisfecerint, nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa praecesserit, &c. Ergo, non praesupposita culpa, non potest Ecclesiasticus iudex ferre hanc censuram ad praedictum finem, seu, quod idem est sub conditione illius.

Veruntamen haec sententia in hoc sensu explicata supponit excommunicationem hanc vt ad praedictum finem ordinetur, non posse ferri nisi per modum correctionis prioris delicti, videlicet prius commissi, quam Ecclesiasticus praetor praeccepti aliquod imposuerit. At hoc necessarium non est neque vlla ratione fundatur. Nam, licet haec censura utilis sit & efficax ad correctionem, non tamen est ille adaequatus finis eius, sed etiam potest ordinari ad quacun-

que obligationem implendam. Et hac ratione potest sub conditione imponi ante omnem transgressionem, sed vt transgressio non committatur, legique obediatur. Atque hoc modo fertur communiter per leges canonicas, & ferri etiam potest per praecceptum hominis: sic enim distinguitur excommunicatio pro futuris culpis, & pro praeteritis cum aliquo respectu ad futurum; sic etiam iudices Ecclesiastici dum aliquem citant, excommunicant eum, si non compareat: ante quam censuram sub ea conditione latam nullum crimen supponitur. Si ergo in aliis rebus possint ita excommunicationem ferre: ergo & in praesenti materia idem poterunt ad praedictos fines, nullo etiam supposito crimine. Nisi fortasse quis dicat, non posse Ecclesiasticum iudicem in his rebus quidpiam praecipere, nisi supposita naturali obligatione illud ipsum faciendi, id est non posse excommunicare eum qui non restituit, aut soluit debitum, nisi supponatur obligatio naturalis ex iustitia ad restituendum, & idem cum proportionem de reuelatione secreti. Sed licet hoc darenus, non oporteret supponi crimen commissum contra illam naturalem obligationem: quia fieri potest, vt nondum occurrerit occasio, vel rebus, pro quo necessario est illa obligatio implenda ad culpam vitandam: imo potest accidere vt terminus ille arbitrarie sit, & quod praeccepto iudicis sub tali censura praefinatur: ergo non necessario supponitur mora cum culpa ante talem excommunicationem sic latam, potest ad eum finem ferri, vt talis mora non committatur, vel si commissum fuerit, statim censura incurrat. Et deinde falsum assumitur: nam Praetor Ecclesiasticus interdum potest obligare in ea materia, & ad eum actum, vbi ex sola rei natura non oritur obligatio, vt in superioribus saepe tactum est. Ergo etiam in hac materia de qua agimus, poterit interdum ita obligare ad soluendum vel denunciandum, aut aliquid huiusmodi, etiam vbi ex sola rei natura non praecedat obligatio, quod in particulari magis constabit ex sequentibus. Si autem hoc potest, etiam poterit pro materia grauitate adhibere hanc censuram, vt maiorem vim & efficaciam conferat suo praeccepto, etiam si nullum supponatur crimen. Quin potius, quando crimen supponitur contra naturalem legem, & ante Ecclesiae praecceptum per accidens se habet ad excommunicationem, solumque est quasi occasio illius: quia excommunicatio fertur ab homine, per se non fertur ad puniendum delictum ante praecceptum eius commissum, sed ad curandum illud & puniendam moram in illo, quia iam est contra praecceptum ipsius iudicis ergo, per se loquendo, non est necessarium supponi crimen ad ferendam censuram.

Neque contra haec procedunt motiua alterius sententiae: iam enim ostensum est correctionem fraternam non esse adaequatam finem excommunicationis. Et ideo ex verbis Matth. 18. nullum posse argumentum sumi. Cap. autem Romana, diminute reseruatur: nam verba sequentia potius confirmant sententiam a nobis propositam, ita scilicet. Aut alia rationabilis (quam in ipsis sententiis expriment) causa sufficit. Si ergo alia rationabilis causa sufficit, etiam si mora, vel culpa non praecesserit, absolute & simpliciter loquendo, necessarium non est, vt culpa praecedat. Et ideo etiam Concilium Tridentinum illis vniuersalibus vocibus vsum est, Ex re non vulgari, & causa diligenter examinata: Quocirca in illo textu, vt supra etiam attigi tractando de censuris in communi, supponitur quidem Ecclesiasticos praetores, aut iudices habere potestatem ad ferendam censuram in huiusmodi causis seu rebus, etiam nulla supposita culpa, quod etiam aperte supponitur in cap. A nobis, de Sent. excomm. Praescribitur autem iudicibus modus quem tenere debent in vfu huius potestatis, nimirum vt illa non vtantur, nisi vel grauitas criminis, vel nimia in satisfaciendo mora, vel aliqua

Refellitur
quidam
chafis.

Excom per
ut idem sup-
ponit crimen
contra natu-
ralem legem

Sola corre-
ctio fraterna
non est ada-
equata finis
excommuni-
cationis.

Explicitur
causa textus c. Ro-
mana, de
Sent. excomm.
in 6.
Cone. Trid.

Ca. A nobis
primo de
Sent. excomm.

aliqua iusta causa eos prudenter indicat; & in hac iusta causa explicanda magna ex parte difficultas presentis questionis fita est, an scilicet illa esse debeat causa spiritualis, vel temporalis sufficiat, de qua statim.

6 Nunc in hoc puncto concludimus posse Ecclesiasticum iudicem valide censuram ferre in huiusmodi causis, & actionibus, quæ proxime ad temporales fines ordinari videntur; vel aliquod malum commissum emendetur, vel ut malum quod committi, & timeri potest, præveniatur. Hoc satis probatum est ex dictis, sed ad maiorem explicationem oportet distinguere inter valorem, & rectitudinem talis sententiae: nam, ut valida sit, & liget transgressorem, sufficit quod præceptum sit iustum, & de re adeo gravi, ut eius transgressio & contumacia absque intolerabili errore possit excommunicatione puniri; quia, si hoc habeat, nihil substantiale deest, cum supponatur potestas, & aliqui admonitio, quæ per ipsum præceptum fit, sit satis ad contumaciam quam excommunicatio intrinsece postulat intra superius tradita d. 4. de Censur. in commun. At rectitudinem autem, seu legalem iustitiam seruandam in tali sententia ferenda, necessarium erit eam moderatione adhibere, easque circumstantias seruare, quas Concilium Tridentinum supra, & Concilium Lugdunenense in dicto ca. Romana, iudicauit.

7 Atque hinc sequitur proximam & immediatam causam huius censuræ esse contumaciam contra obedientiam Ecclesiasticam præcepti: ad hoc enim fertur, etiam in his causis, quæ temporales videntur, ut timore eius Ecclesiasticum præceptum impleatur; unde quædo incurritur, ob contumaciam eius proximè incurritur. Atque ita fit ut proxima eius causa semper spiritualis sit: nam obedientia Ecclesiastici præcepti spirituale bonum est, & maxime pertinet ad commune Ecclesiæ bonum, & eiusdem rationis, & bonitatis est reprimere contumaciam contra Ecclesiæ obedientiam. De ipso vero præcepto ulterius superest inquirendum, an ut iustum sit, & per excommunicationem merito roborari possit, oporteat illud etiam referri in spirituale finem, vel temporale commodum, vel publicum, aut priuatum aliquius personæ sufficiat.

Præceptum Eccles. non nisi ob spiritualem titulum præcipue ferri posse. Conc. 2.

8 In nouo puncto dicendum secundo est, Prælatum Ecclesiasticum non posse hoc præcipere nisi aliquo spirituali titulo, ita ut, licet res quæ præcipitur sit temporalis, & proxime ad temporale commodum ordinari videatur, tamè ratio (ut ita dicam) sub qua præcipitur, debeat esse spiritualis. Ita significat Diuus Thomas 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 1. quæstione. 3. quamuis non loquatur de præcepto, sed de excommunicatione ipsa, quatenus proxime imponitur propter contumaciam reprimendam, vel obedientiam extorquendam. Et in eodem sensu dicunt omnes excommunicationem non ferri pro damno temporalis, nisi quatenus ibi intercedat aliqua ratio spiritualis. Quod autem non solum in excommunicatione, sed etiam in præcepto ipso verum habeat, probari potest, quia potestas Ecclesiastica non cadit directe in hæc temporalia, sed in spiritualia, ratione quorum indirecte & quasi consecutione quadam extenditur ad temporalia: ergo idem est de hoc præcepto cum ab illa potestate procedat. Antecedens, & tota assertio certa sunt ex materia de fide, ubi de potestate Ecclesiæ, & Summi Pontificis agitur; & ferè in terminis asseritur ab Innocent. 3. in cap. Nouis, de iudic. & ab Alexand. 3. in cap. Causam quæ inter. Qui filii sint legitimi. Eamque rem late tractat Bernard. libr. 1. de Confid. ad Eugen. dicens, ad Summum Pontificem spectare crimina corrigere, non de pos-

sessionibus iudicare, quæ vere sunt verba Alex. 3. in citato loco. Et in materia de legibus latius hoc punctum tractauit.

Tandem confirmatur, & explicatur, nam duobus modis (iuxta superius dicta) contingere potest iudicem Ecclesiasticum obligare ad hos actus. Primo in materia, in qua erat naturalis & intrinseca obligatio talem actum faciendi, ut restituendi, vel soluendi debitum, &c. Et tunc manifestus est spiritualis titulus, scilicet ut subditus faciat quod in conscientia tenetur; & consequenter ut vel à culpa exeat, vel illam non committat. Secundo potest præcipere in materia, quæ de se non obligat sine politico hominis præcepto, ut si prælatus iudicet expedire ut à fidelibus aliqua communis contributio fiat, & id eo id præcipiat sub censura excommunicationis, ut tale præceptum recte feratur, necesse est ut finis illius contributionis sit aliquo modo spiritualis, ut verbi gratia, pauperum subuentio: quæquam enim pauperum commodum temporale sit, subuentio tamen & cura illorum spirituale quid est: præsertim cum corporalis etiam elemosyna, maxime cum communitati necessaria est, ad spiritualia damna vitanda sit fere necessaria: & sub ea ratione maxime ad curam spiritualis pastoris pertineat. Idem erit si talis contributio sit moraliter necessaria ad decentem cultum diuinum secundum Ecclesiæ ritum; vel etiam si sit necessaria ad aliquod bonum commune, quod ad vitanda spiritualia damna conferat. Quod enim in his, & similibus casibus Prælatus Ecclesiæ, vel Episcopus vel summus Pontifex, respectiue iuxta materiam qualitatem, possit aliquid circa temporalia præcipere in ordine ad spiritualia, manifestum est ex illo principio, quod potestas spiritualis indirecte extenditur ad temporalia, quatenus ad spiritualia necessaria sunt, vel conferunt; unde sunt quasi accessoria quæ consequuntur ad principale. Quod vero alia ratione & modo id præcipere non possit, constat ex opposito principio, quod potestas spiritualis directe non cadit in temporalia. Unde non potest Episcopus verbi gratia, præcipere alicui ut restituat alteri rem suam solum ob incommodum temporale quod alius patitur, illa carendo: scopi. hoc enim spectat proprie ad potestatem civilem.

9 Cuius rei indicium est, quod, si talis persona in conscientia habet aliquam iustam excusationem ad non faciendam illam restitutionem; & alioqui est certum & euidentem nullam spiritualem rationem pertinentem ad Ecclesiæ forum in eo opere intueri, non tenebitur in conscientia illi præcepto obedire, nec ligabitur censura, etiam si illi adiuncta sit. Quamquam in hoc valde cauendum est ne iniuria fiat Ecclesiasticis prælatis: nam quoties aliquid huiusmodi temporale præcipiunt, nisi manifeste constet oppositum, præsumendum est eos habere iustam aliquam causam ad suum forum pertinentem: quia semper ius superioris tanquam publicum preferendum est.

10 Atque hinc etiam magis constat, quod in superiori puncto dicebamus. Nam hæc præcepta, licet materialiter (ut sic dicam) temporalia sint, formaliter tamen sunt spiritualia: quare merito possunt prælati spiritualibus poenis ea communire, non solum post eorum transgressionem, sed statim à principio, ut eorum transgressio magis caueatur: ergo interdum etiam poterunt iuste excommunicationem ferre in futuros transgressores. Nam, cum causa talis præcepti spiritualis sit, & sepeque ad bonum commune pertineat, facile potest esse tam grauis ut ad talem censuram dicto modo ferendam sufficiat. In quo etiam arbitrio ipsius Ecclesiastici iudicis standum est, quando oppositum non constiterit: ipse enim non solum est iudex, sed etiam quasi spiritualis medicus, ad quem spectat non tantum expellere morbos iam contractos, sed etiam præcauere

cauere ne contrahantur, & ad vtrumque potest excommunicatio esse apta medicina, si prudenter applicetur.

Propositæ questionis & rationis dubitandi resolutio.

EX dictis ergo satis constat propositæ questionis resolutio: quamuis enim terminus ille in titulo questionis propositus scilicet *pro causis, seu in causis temporalibus*, qui in eo esse possit, tamen illo utendo in communi sensu, qui est de materia talis censure, & præcepti, non de ratione formali sub qua, vel propter quam fertur, simpliciter dicendum est, posse Ecclesiasticos iudices iuste & valide pro his causis excommunicationem ferre, interdum respiciendo ad crimina, offensiones, vel scandala commissa, non præcise, vt præterita sunt, sed vt aliquo modo tractum successuum habent, vt in futurum tollantur, vel resarciantur: interdum vero respiciendo solum ad futura crimina vt euitentur, & vt Ecclesiastica obedientia seuerius obseruentur. Quando autem feratur hoc vel illo modo, ex verbis ipsius sententiae seu præcepti facile intelligitur. Ratio item dubitandi in principio posita ex dictis etiam soluta est. Probat enim Ecclesiasticos iudices non versari circa has causas temporales temporaliter, sed spiritaliter, inde vero fit, vt poena seu medicina spiritali vi possit.

In confirmatione autem petitur speciale dubium, an huiusmodi excommunicationes, quæ ferri solent in his causis temporalibus, vt restituatur ablatum, an veritas detegatur, &c. possint ferri solum generatim & consule contra personam quæ hoc detinet, aut nouit, & non reuelat, quoniam illa occulta est, aut etiam contra personam determinatam, ac nominatam, quando persona cognita est: nam quod priori modo possit, manifestum est ex usu, & quia tunc maxime locum habent omnia quæ diximus. Quod autem idem dicendum sit de posteriori modo, videtur probari à paritate rationis: nam etiam si causa versetur cum particulari persona, potest intercedere spiritalis titulus, sub quo licet Ecclesiastico iudici huiusmodi causam assumere, & iudiciu in illa vsurpare, nimirum, vt ille qui debitor est tali personæ, à peccato exeat, aut alij similes.

Nihilominus dicendum est, regulariter ac moraliter loquendo, hoc non licere; quanquam, si fiat, factum teneat; & excommunicatio liget, si reuera sufficiens ratio, & spiritalis causa intercedat. Explicantur singule partes, & in primis supponendum est sermonem esse, quando hæc res temporales inter personas seculares, quæ in his temporalibus non subiiciuntur directe potestati Ecclesiasticæ tractantur: nam si negotium versetur inter personas Ecclesiasticas, & ea ratione ad forum Ecclesiasticum pertineat, tunc clarum est posse iudicem Ecclesiasticum vti gladio spiritali contra certam & determinatam personam, etiam in causa, seu materia temporalis: nam hoc solo nomine, quo talia bona aliquo modo Ecclesiastica sũt, materia spiritalis efficitur. Item, quia cum supponatur talis causa pertinere ad forum Ecclesiasticum, necessario fit, vt liceat in ea vti Ecclesiastica coactione, si opus fuerit: hæc autem coactio maxime fit spiritali gladio: imo frequenter non potest alio modo fieri. Hoc supposito probatur prior pars assertionis, quia si debitor in tali causa certus est, potest conueniri coram suo iudice, ad quem primario ac per se spectat cognitio causæ temporalis: ergo non licet Ecclesiastico iudici sese intromittere, & per censuras procedere. Quod confirmat optimè dictum Alexandri II. in allegato c. *Causam*, quod agere de possessione rei temporalis inter certas personas seculares non spectat ad Pontificem

Ad Regem. Vnde in hoc cernitur aperta differentia, quando persona est certa, vel incerta, nam contra personam incertam & occulte detinentem bona, non potest secularis iudex procedere, vt per se notum est: & ideo, vt in illo crimine possit esse correctio, necesse est ad potestatem Ecclesiasticam recurrere, quæ spiritali gladio etiam personas per accidens occultas ferire potest, vt supra visum est. Et tunc optime seruatur quod Concilia statuunt, vt Iudex Ecclesiasticus in his causis per censuras non procedat, quamdiu aliis temporalibus remediis possunt sufficienter terminari. At vero quando persona est certa, tunc coram iudice seculari potest conueniri, & ad illum per se spectat talis causa: quare non recte faciet Ecclesiasticus iudex, illam vsurpando.

Dixi autem regulariter hoc non licere, quia interueniente causa rationabili, erit hoc licitum. Erit autem causa huiusmodi primo, si iudex secularis nolit remedium adhibere, neque accusationem eius, qui iniuriam passus est, suscipere, aut in causam progredi. Tunc enim ad commune bonum spectat, & ad pacem fidelium, vt ad Ecclesiasticum iudicem possint habere recursum, saltè eo titulo, vt peccata publica corrigantur iuxta textum in cap. *Mulier* 2. de Iureiurand. in cap. *Qualiter*, de Iudiciis. Neque enim obstat quod tale peccatum sit iniuriosum ipsi denuncianti: nam fortasse ideo Christus peculiari ter dixit, *Si peccaueris in fratre tuo*, id est, contra te (vt multi exponunt) vt intelligamus etiam in his peccatis habere locum processum, & terminum fraternæ correctionis. Hoc autem intelligendum cenfeo, quando ipse iudex secularis cogi non potest per alium superiorem eiusdem fori; nam, si possit, ad illum prius recurrendum est, propter rationes, superius factas. Tunc ergo solum licitum est spiritali brachio talem causam assumere, quando seculari non vult, vel certe non potest suo munere fungi. Imo etiam tunc prius debet secularis iudex moneri vel etiam per censuras compelli, vt suo munere utatur. Quod si hoc non sufficiat, tunc poterit Ecclesiasticus iudex causam suscipere.

Alia causa erit, si persona tantæ est dignitatis vt non habeat superiorem in temporalibus, neque velit arbitrorum iudicio rem committere, tunc enim potest spiritalis potestas per censuras cogere ad seruandam iusticiam, vel si res sit dubia, ad standum aliquorum iudicio. Hoc aperte docet Innocentius Tertius in dicto cap. *Nouit*. Et constat ita esse seruatum perpetua Ecclesiæ consuetudine, vt late refert Bellarm. com. 1. lib. 5. de Roman. Pontif. capit. 6. Bellarm. 7. & 8.

Et ratio est, quia tunc non vsurpatur temporale iudicium, cum nullus sit ad quem spectet: & alioqui ad Ecclesiæ pacem, & consequenter ad commune bonum spirituale hoc pertineat. Hinc vltius sequi videtur, quod licet persona sit certa, si tamē ita lateat, vel absens sit, vt secularis potestas nec capere illam possit, nec remedium aliud adhibere: tunc etiam possit potestas Ecclesiastica per censuras absentem compellere, vt à tali crimine exeat, & consequenter vt parti læsæ satisfaciatur. Maxime quando delictum est ita publicum, vt nulla tergiversatione celari possit. In his ergo, & similibus casibus potest Iudex Ecclesiasticus suam authoritatē interponere, quāquam in ea re magna prudentia, & moderatio necessaria sit, ne aliquid vel præter consuetudinem Ecclesiasticam, vel præter sacros canones fiat.

Denique in vltima parte addidi, licet interdum Iudex Ecclesiasticus imprudenter faciat, sese intromittendo, si tamen vera causa spiritalis subsistat, & illam se intendere dicat; nihilominus censuram quamuis forte iniustam ob inuersum ordinem, validam

14. Quibus causis possit contra determinatam personam per exc. procedi.

25. C. Nouit.

26.

27. Posterior assertio probatur.

lidam esse. Quod sume ex dicto cap. Nouit, ubi dicitur, posse Prælatum Ecclesiasticum quælibet peccata corrigere: si ergo confitetur de offensione facta, & de mora satisfaciendi: etiam si persona sit certa, subest vera causa spiritualis, quam potestas spiritualis curare potest: ergo si reuera hoc titulo id faciat, quâvis imprudenter, & præmatore tale iudicium usurpet, timenda erit illa censura ut valida. Pater confectio, quia illa censura non continet intolerabile errorem, neque iniuriam contra iustitiam commutativam respectu partis, contra quam fertur: neque etiam est ab usurpata iurisdictione, quia talis causa reuera subest iurisdictioni Ecclesiasticæ; quamquâ absque necessitate non deberet per illam agi, sed per inferiorem magis proportionatam: hic tamē defectus non est substantialis, neque inuenio decretum aliquod illam censuram irritans, & ideo ut validam timendam esse censeo.

SECTIO III.

Utrum excommunicatio lata ad finem soluendi debitum, vel restituendi alienum, semper liget.

Qui à peccato excusatur, excusatur etiam ab excommunicatione.
Covarruvias
Soto.

Regulando
zanda.

Quibus casibus potest præceptum restituendi talis tempore prorogari, aut suspendi.

Proponendæ in primis sunt regulæ generales in superioribus traditæ, videlicet, quoties aliquis excusatur à peccato mortali, excusatur etiam ab excommunicatione præsertim in foro cōscientiæ. De quo principio multa supra diximus, & videri potest Covarruvias dicto cap. Alma. i. par. §. 9. & Soto dist. 22. quæst. 1. ar. 2. qui recte infert, si quis rem alterius clam accepit nō animo accipiendi alienum, sed recuperandi eandem rem, vel aliam similem, aut æquivalentem, suam, aut sibi debitam ab altero possessore, a quo non poterat altera via eam recuperare, tunc cum non ligari excommunicatione, licet eam non manifestet, nec reddat: quia in eo non peccat, ut recte etiam Glossa notavit in c. 1. *Ius gentium*, verbo, *Sed cum*, dist. 1. Unde præceptum illud in falsa præsumptione fundatur, seu (quod idem est) contra iniuste retinentes talia bona fertur: nec alia esse debet iusta intentio ferentis, & ideo non obligat in eo casu, quia ille non retinet iniuste. Item ex eodem principio sequitur, quoties interuenit ignoratia inuincibilis præcepti Superioris sub tali censura facto incurrendæ, si post talem terminum non fiat solutio: illam excusare ne hæc censura incuratur, quia excusatur à culpa, vel contumacia. Quod intelligendum est iuxta superius tradita de cōfessis in cōmuni. Item est aliud principium, quoties præceptum Superioris latum sub hac conditione intra certum terminum implenda, ante lapsum terminum suspenditur, vel protrahitur, aut quacunque ratione eius obligatio cessat, non incurri censuram, etiam si post elapsum terminum nō fiat solutio. Ratio est, quia tunc cessat contumacia: hæc enim esse non potuit ante impletum terminum, quia nondum urgebat præceptum, neque etiam illo termino impleto, quia iam cessauit, vel suspensum est præceptum, ut suppono; ergo. Sunt autem multæ causæ, ob quas tale præceptum cessare, suspendi, aut prorogari potest, videlicet directa voluntas ipsius Iudicis, qui illam tulit: nam ab illa maxime pender. Item mors, vel amissio, aut suspensio iurisdictionis eiusdem Iudicis, iuxta superius tradita disput. 3. sect. 3. Item voluntas eiusdem partis, ad cuius instantiam cēsurā lata est, iuxta dicta in eadē sectione 3. Item est aliud principium, si quis ob impotentiam non soluat, quod illi præceptum est, etiam si præfixus terminus elabatur, non incurrit censuram, quod fundatur in prima regulā posita: nā talis impotentia excusatur à culpa.

Dubium primum de restitutione grauis nocuenti per paruas solutiones.

Circa hæc vero, quæ generalia sunt, occurrunt nonnulla particularia dubia, quæ maxime solent in praxi versari. Primum est de his excommunicationibus, quæ ferri solent, ut restituatur damnum alicui factum in vinea, vel alia simili: quod damnum licet totum simul sit graue, tamen factum est à multis, quorum vnusquisque in parua materia, & ad peccatum mortale insufficiente deliquit. an scilicet talis excommunicatio obliget singulos. Et est ratio dubitandi, quia nullus illorum tenetur sub mortali ad restituendum: ergo nullus ligatur excommunicatione, cum hæc locum non habet nisi supposita culpa mortali. In contrarium vero est, quia si nemo in particulari ligatur, vana est talis excommunicatio, cum tota communitas ut sic ligari non possit: nullumque habebit effectum, cum restitutio facienda non sit nisi per actiones singulorum: singuli autem ex vi talis censure ad restituendum non coguntur. In hoc quidam simpliciter negant talem excommunicationem posse ligare singulos, & consequenter etiam negant illam esse materiam excommunicationis maioris ferendæ: quia ibi licet interueniat damnum temporale graue, non tamen spirituale: temporalia autem incommoda secundum se non sunt materia excommunicationis: nec necesse est, ut omnibus his nocuentis possit per excommunicationem subueniri. Hæc opinio sumi videtur ex Nauarro in Summa, cap. 17. numero 136. quatenus dicit eos, qui sic accipiendo mortaliter non peccant, non teneri ad restituendum: & ex Covarruvias in c. Alma, part. 1. §. 8. numero 2. illatione 4. At enim excommunicationes generatim latas contra eos, qui furum commiserunt, non ligare eos, qui furando solum venialiter peccant. Quod non videtur posse intelligi solum ratione peccati commissi ut sic, quia excommunicatio nunquam fertur præcise ratione illius: ergo intelligendum est, etiam in ordine ad restitutionem. Et idem sentit Petrus Nauarrus li. 3. de Restitut. cap. 1. dub. 5. n. 49. & sequentibus & dub. 8. per totum. Contraria vero sententia est communiter recepta. Sumitur ex Maiore in 4. dist. 15. q. 25. & Medina C. de Restitut. q. 8. & 10. quos refert, & Covarruvias li. 1. Variar. cap. 3. n. 12. Idem tenet Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. & lib. 4. de iustit. qu. 7. art. 3.

In hac re vnum est certum ex dictis, videlicet si is qui furatus est rem leuem, vel damnum leue incurrit, non teneatur sub peccato mortali ad restitutionem, saltem post latam excommunicationem, non posse tali censura ligari. Hoc supponunt omnes dicti auctores, & patet ex supra dictis. Deinde est mihi certum, posse fieri ut aliquis non peccauerit mortaliter accipiendo ob materiam leuiorem, & tamen quod postea peccet mortaliter retinendo, vel non restituendo damnum, ut patet in vulgari casu, si quis sæpius affem accipiat, non coniungens vnā actionem cum alia, nec prauidens ex singulis acceptionibus coalescere graue damnum: tunc enim accipiendo non peccat mortaliter, & tamen postea restituere tenetur. Idem est, quando damnum infertur à multis, qui per se, ac sigillatim sine scientia aliorum, aut grauis nocuenti, paruum materiam furantur: accipiendo enim non peccant mortaliter, postea vero de graui damno certi effecti restituere tenentur sub mortali; quia licet quantitas ab vnoquoque accepta per se considerata parua sit, tamen ut pars grauis nocuenti, quod alia via reparari non potest, grauis materia mortaliter censetur. Sicut si à principio omnes illi, qui parua damna intulerunt, præcuisissent aliorum concursum, & graue

Sec. II. An lata ad finem soluendi debitum semper, &c. 311

grauē damnum inde euenturum, grauius peccasset singuli vel minimum quid accipiendo, vel si ex conventionē id facerent: quia quantum spectat ad materiæ gravitatē, moraliter perinde est quod multi simul ex certa scientia, vel quod ex conventionē damnum inferant: solumque erit diuersitas in causalitate vnius circa actionem alterius. Quando ergo materia, seu causa prædictæ excommunicationis huiusmodi est, manifestum est excommunicationē esse validam, & ligare: quia in ordine ad futurum, materiam habet proportionatam, in tali autem excommunicatione (per se loquendo) non habetur ratio præteritæ culpæ; & hoc modo procedit Couarruias dicto loco variarum: & quoad hoc nulla videtur esse difficultas.

Solum esse potest quando ad excommunicationem non supponitur obligatio restituendi sub mortali, an præceptum sub excommunicatione latum possit illam inducere, vt talis excommunicatio liget. Aliqui absolute, & sine distinctione affirmant ex quodam generali principio, quod qualibet contumacia, etiam in parua materia sufficit ad peccatū mortale: atque adeo quod omnis prohibitio Ecclesiæ sub excommunicatione ipso facto incurrenda obligat ad mortale, in quacunque materia etiam leuissima. De quo principio videri potest Couarruias dicto §. 9. numero 5. Sed illud à nobis supra est improbatū, quia proportionata materia in omni virtute, & respectu cuiuscunque potestatis est necessaria. Et declaratur præterea, quia excommunicatio adiuncta non facit præceptum esse graue, sed supponit, & ad summum declarat voluntatem præcipientis esse grauius obligare quantum materia capax est: inquirimus ergo quomodo hæc materia sit capax talis obligationis humanæ, si alioqui supponitur vt insufficiens ad obligandum sub mortali ex sola natura rei, cum in hac materia non videatur humanus Superior posse obligare, nisi quantum ratio iustitiæ postulat. Ad hoc Soto dicto loco de iustitia his verbis respondet: *Quod si arguas excommunicationem non licito imponi, nisi pro peccato mortali: respondetur id esse per se verum ratione culpæ: secus autem ratione emergentis damni, quando sit graue. Quæ verba subobscura sunt: nam videtur per ea significare excommunicationem interdum posse iuste imponi propter vitandum graue damnum temporale alterius, etiam si non interueniat culpa mortalis. In quarto tamen id amplius declarat dicens: Quamuis acciperet non fuerit mortale crimen, quia vero pro graui damno excommunicatio fuit iusta, quicunque tenetur sub peccato mortali, quod abstulit, restituere. Vbi supponit obligationem sub mortali ad restituendum: significat tamen totam provenire ex præcepto sub excommunicatione lato. Non vero declarat quo modo in tali materia possit talem obligationem inducere præceptum humanum, si naturale non poterat: aut quo modo excommunicatio fuerit iusta, quæ talem obligationem naturalem non supposuit.*

Quapropter duo tantum modi superius traditi hic applicandi sunt. Vnus est frequentior, tamen in eo præceptum humanum non se habet vt prima radix talis obligationis, sed vt proponens, & confirmans illam: sæpius enim contingit illam obligationem ad restituendum sub mortali in re quidem esse, esse tamen ignoratam, vel dubiam: nam singuli damnificatores propter materiæ paruitatem facile contemnunt, & excusationem præterdunt, nec de graui nocumento potest eis tam facile, tamque certo constare, vt ad restituendum obligentur: at vero postquam per Superiores præceptum sufficienter constat, & de graui nocumento, & de obligatione restituendi, quam ipse sua autoritate confirmat: iam tunc nullus potest excusari, aut subterfugere. Et hic modus est adeo certus, vt nisi euidenter constet de

iniustitia præcepti Superioris, illi parendum sit: & alioqui excommunicatio incurrat propter rationem in sepe dictam, quod in huiusmodi dubiis Superioris autoritas præferenda est: nam ad illam spectat in simili dubio discernere, an materia sit grauis, necne; & an intercedat sufficiens ratio iustitiæ, quæ grauius ad restituendum obliget.

Alius modus est rarior, & difficilior; quia in eo præceptum humanum supponitur esse prima ratio talis obligationis sub mortali. Et tunc quidem necesse est, vt præceptum Prælati Ecclesiastici non innitatur in sola ratione iustitiæ commutatiuæ, ad quam spectat obligatio restituendi: nam hoc modo difficultas proposita plane videtur ostendere, si ipsa iustitia per se non inducit grauem obligationem ad restituendum, nec Superiore Ecclesiasticum posse intra latitudinem huius virtutis eam obligationem adiungere, quia materia non est capax illius: oportet ergo, vt peculiarem obligationem obedientiæ addat. Vt vero hanc possit iuste imponere, necesse est, vt intercedat aliqua spiritualis ratio, quæ per se respiciat spiritualis potestas: quæque adeo grauis sit, vt ad inducendā grauem obligationem sufficiat. Huiusmodi autem erit, si v. g. iudicet ad communem pacem, & ad vitanda multa peccata expedire, vt tale graue damnum illo modo reparetur: vel si censeat non solum ad reparandum damnum temporale talis personæ sic læsæ, sed etiā ad spirituale vitandum, eam restitutionem fore necessariam, vel aliquid simile. Et tunc præceptum erit iustum, & inducens obligationem restituendi. Quocirca cum hoc præceptum variis modis & multis titulis possit esse iustum, moraliter loquendo semper obligat, & consequenter censura sic lata valida est.

Alia dubitatio de quibusdam excommunicationibus Camere apostolicæ.

Altera dubitatio est circa aliam excusationem de impotentia soluendi: oriturque ex quodam casu practico de excommunicationibus, quæ ferri solent per Cameræ Apostolicæ Auditorem aduersus eos qui in forma Camere, vt aiunt, obligantur Romæ ad absolvendam pensionem, vel aliud debitum infra certum terminum, seu certis temporibus sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ. Hi enim debitores elapso termino censentur excommunicationem incurere, & statim declarantur, nulla habita cōsideratione an potuerint statuto tempore soluere, necne: ergo propter impotentiam non excusantur ab huiusmodi excommunicatione contrahenda. Respondeo, hic nos non explicare quid de facto fiat, aut in exteriori foro possit fieri, sed quid ius habeat in foro interiori, & conscientiæ. Loquendo ergo in conscientia, proposita regula adeo vera est, vt in eo casu non possit deficere. Nam quacunque forma aliquis obligetur vel constituitur debitor, & se submittat pœnæ excommunicationis ipso facto incurrendæ, si infra talem terminum non soluerit, semper subintelligenda est conditio, si eo tempore sit soluendo, vel (quod idem est) si voluntarie omiserit solutionem: nam propter factum, vel non factum inuoluntarium nemo potest excommunicationem incurere: quia in eo, quod inuoluntarium est, nemo est contumax; & ideo non potest illud esse legitima causa excommunicationis. At vero, qui non est potens ad soluendum eo tempore, pro quo tenetur, inuoluntarie omittit solutionem: ergo vt talis obligatio iusta sit, & excommunicatio valeat, necesse est prædictam conditionem subintelligi.

Vt autem ius hoc ad factum illud applicetur, aduertendum est primo, duobus modis posse aliquem obligari in forma Camere: primo, personaliter per proprium

Etiā in his excommunicationibus non legantur conscientia, qui ob impotentiam tempore præfixo non soluit.

Quæ tamen, ut supra obligat proprium

tur in forma
Comitatus, po-
t si abque
alia monitio
ne excommuni-
cationis in
mentem, &
declarat.

proprum consensum immediatum: secundo, per procuratorem, atque adeo per alterius voluntatem & non per propriam nisi remote, quatenus alteri concessit facultatem le obligandi. Quando obligatio fit priori modo, non est magna difficultas, quia iam satis constat debitori ne obligationem assumpta sub tali onere, & poena, & per ipsam obligationem tanquam per legem, quasi continue admonetur, ut adueniente termino, seu infra mensem post designatum terminum, ut praxis interpretata est, debitum soluat. Et ideo in toto rigore iuris potest ipso facto contrahere censuram, si statuto tempore non soluat, cum possit nam ibi omnia concurrunt, quae ad contumaciam, & ad iustam censuram necessaria sunt. Quapropter in rigore iuris statim potest ille excommunicatus declarari, etiam si sit absens: quia satis ex ipsa obligatione, & non solutione probata, constat in foro exteriori illum incurrisse excommunicationem. Et quamvis re ipsa possit intervenire excusatio, vel impotentia ad soluendum, vel quia per ipsum non fuit: ut si literas iam misit, vel procuratorem admonuit, & casu, vel alterius incuria accidit, ut effectus impediretur (in his enim casibus, & similibus sine dubio non contrahitur excommunicatio) nihilominus quia in foro exteriori constat de omissione solutionis contra talem obligationem: & alioqui ad ipsum reum pertinet excusationem, si quam habet, asserere, & probare, & citatus censetur sufficienter, si Romae coram quolibet procuratore citetur (sub hac enim conditione fit illa obligatio) ideo elapso termino solutionis, & citationis, iuste potest in foro exteriori declarari. Et ipse tenebitur in eodem foro abstinere a tempore praesumptae contumaciae, nisi rigor hic alia via temperetur, ut statim dicemus. Quin potius si cum hoc rigore procedat lata excommunicatio, quamvis a principio non statim declaratur talis debitor excommunicatus, sed postea quando illi potest talis excommunicatio denunciari; nihilominus declaratio, & censura quasi retrahitur, id est, non solum declaratur ille excommunicatus ab eo tempore, quo fit declaratio, sed etiam ab eo, ex quo fuit in mora soluendi: quia reuera ex tunc excommunicationem contraxit.

Quid si obli-
getur per pro-
curatorem.

Secus vero est, quando aliquis solum per procuratorem pensioni consensit, aut debitum contraxit sub praedicta obligatione in forma Camerae: tunc enim donec literae, quibus pensio fuit instituta, vel obligationis, & debiti ipsimet debitori intimantur, non potest in conscientia excommunicationem incurrere, neque etiam in foro exteriori, & iuxta communem praxim ille pro excommunicato non habebitur, donec de notificatione literarum sufficienter constet. Et ratio est, quia consensus per solum procuratorem non sufficit, ut ipsi debitori censeatur sufficiens monitio facta, cum haec fieri debeat in propria persona, per se loquendo, ut supra ostensum est. Et ideo etiam non sufficit ad contumaciam, quia nemo potest esse contumax, nisi prius fuerit monitus, ut supra etiam diximus. Propter quod etiam distum est, eum, qui omnino ignorat inuincibiliter excommunicationem, & admonitionem eius, non posse illam incurrere. Ita vero est in praesenti casu: nam ille, qui per alium tantum obligatur, per se, & ex vi illius obligationis ignorat censuram, & obligationem sub commutatione illius: ideo ille consensus per se non sufficit ad excommunicationem incurrendam. Atque in hunc modum hunc casum definiunt fere omnes auctores, qui illum attingunt Nauarrus cap. 23. num. 104. & cap. 27. numero 274. citans Calsiodorum super reg. Cancell. tit. de pensionib. decis. 2. & tit. de Rescript. decis. 12. Couarruias cap. Alma, part. 1. §. 10. numero 7. Gigas de Pensionibus. quæstion. 77. num. 20. & quæstione 84. numero 2. citantur etiam Antonius Massa ibid. de

Nauarr.

Couarr.
Gigas.

Massa.

A Obligat. in forma Camerae, pag. 136. & Mandosa in regul. Cancellar. reg. 27. quæstione 7. numer. 4. Qui licet simpliciter dicant in his casibus in curri excommunicationem, statim ac debitor est in mora soluendi post sufficientem consensum, vel notificationem literarum: non tamen dicunt, eum non posse excusari in conscientia propter impotentiam, sed potius in hoc supponunt generalem doctrinam. Respectu vero exterioris fori oportebit huiusmodi impotentiam sufficienter ostendi: qua ostensa coram competente iudice, vel absolvens ille erit in eodem foro, vel certe declarandum, quod is excommunicationem non incurrerit, iuxta varios intellectus e. Odo arduus, de Solit.

B Atque ob hanc rem addendum ulterius est, quod id, quod in priori membro praecedentis distinctionis diximus, verum sit de possibili (ut sic dicam) & de toto rigore; ad hunc leniendum, & tollendum periculum quoad fieri possit, ne aliquis sine culpa pro excommunicato habeatur, vltu, & praxi introductum esse, ut elapso termino ad pensionem, vel debitum soluendum designato in praedicta obligatione in forma Camerae, excommunicatio non censeatur incurra, donec creditor declarat se velle ut illam incurrat; quod si priusquam id declarat, vel ipse, vel debitor moriatur, vel soluat pensio, vel fiat concordia, nunquam incurreretur. Atque ita habere stilum Curiae refert ex Calsiodoro Nauarrus dicto cap. 23. num. 104. Ad quod faciunt multa, quae in simili tractat Gigas dicta quæst. 77. quamvis ipse in contrariam partem propendat. Illa autem voluntas partis non satis est, ut sit priuata, sed per sententiam Camerae debet esse intimata debitori, ut excommunicationem incurrat, ut significat Calsiodorus supra ex eodem vltu, & stilu Curiae. Estque valde consentaneum rationi, ut & voluntas creditoris expectetur: quia cum in eius fauorem lata sit excommunicatio, donec ipse cum eo rigore exigat, aut petat debitum, cæsetur dilatorum permittit, nec iudex intendit nisi iuxta illius exigentiam, & voluntatem excommunicationem ferre. Et rationabile etiam est, ut hac voluntas creditoris intemetur debitori iuridice, & solenni notificatione, atque adeo per eiusdem iudicis sententiam. Tunc autem si creditor constiterit, debitorem esse impotentem ad soluendum, non poterit iuste velle, ut alius excommunicationem incurrat. Neque etiam id vult, in conscientia factum tenebit.

Addit vero Nauarrus supra in eo casu, excommunicationem retrahitur, id est, etiam si creditor post mensem, vel annum declarat se velle, ut debitor non soluens excommunicatus sit, illum habendum esse pro excommunicato a priori termino elapso, supposito quod personaliter consensit pensioni (ita enim loquitur). Hoc autem non existimo verum, quia est nimis rigor, & repugnans naturae excommunicationis, & non satis fundatus. Aut enim excommunicatio fuit vere, & in re ipsa contracta ab initio, vel non. Primum dici non potest, quia supponimus creditorem prius non declarasse voluntatem suam, & absque hac declaratione non incurrere excommunicationem illam: quia ante illam declarationem alter non censetur esse contumax. Si vero ab initio non fuit contracta excommunicatio: ergo declaratio postea facta non potest retrahi usque ad illum terminum. Patet consequentia, quia declararet rem falsam, scilicet fuisse excommunicatum ab eo tempore, in quo vere non fuit. Dicunt aliqui, etiam si ille non fuerit vere excommunicatus ab eo termino, in foro tamen exteriori haberi ut excommunicatum ab illo termino, ex quadam praesumptione, & fictione iuris. Verumtamen ut probe notauit Couarruias in cap. Alma, part. 1. §. 18. numero 6 in his spiritualibus poenis non est locus fictioni iuris sed veritas semper attendenda est: quod maxime locum

10

Quod prius
habet de ex-
communica-
tione in for-
ma Camerae.

Nauarr.

Gigas.

Calsiod.

11
Nauarr.

Quadam
casu refert
Nauarr.

Couarruias.

Iocum habet in foro conscientia: nam pro eo tempore, pro quo quispiam contumax non fuit, nullo modo potest pro excommunicato haberi, neque ipse in conscientia tenetur ad aliquem excommunicationis effectum. Idem autem verum esse censeo quoad forum externum: nam in casu, de quo agimus, qui illo tempore celebraverit, non propterea iudicabitur irregularis, aut beneficiis priuabitur etiam in foro exteriori: esset enim talis pena iniqua, cum pro illo tempore non fuerit contumax Ecclesiae, neque fuerit transgressus præceptum Camerarii, quandoquidem illud dedit quasi pendens ex voluntate creditoris, & sub conditione, *Si ille velit*. Propter quod, si plures sint fideiussores, & creditor vnum excipiat, eumque admoneat se nolle ipsum comprehendere, quamvis literæ generaliter promulgentur, ille non incurrit censuram, neque in foro interiori, neque in exteriori, si in illo sufficienter ostendat declarationem voluntatis sui creditoris. Hæc autem de foro exteriori ita intelligenda sunt, vt tamen propter vitandum scâdulum debeat quis sæpe ab exterioribus actionibus abstinere in publico, quando de exceptione, vel alia simili excusatione non constat.

22. Ultimo est circa hunc casum aduertendum, iuxta commune ius ca. *Odoardus*, de Solut. Solere Clericum beneficiatum alieno ære grauatum, qui satisfacere non potest, vt molestiam creditorum euitet, ab Ordinario suo petere, vt assignata sibi congruente sustentatione, reliquos fructus ad debita suo ordini soluenda applicet, donec plene satisfaciatur; debitoresque inhibeat, ne amplius ipsum vexent. Huic ergo communi iuri, & fauori renunciant hi debitores, qui in foro Cameræ obligantur: ideoque illo vt non possunt, vt prædictam censuram effugiant. Ex quo fieri videtur, hunc debitorem non effugere prædictam censuram, etiam si quantum in se est, faciat vt soluat, si non integre soluit. Quid enim amplius facere potest, moraliter loquendo, quam renunciare omnibus fructibus, & sola congrua sustentatione esse contentum. Adeo enim intrinseca, & naturalis est referuatio congruæ sustentationis, vt nemo possit propter illam iuste vexari: & propterea ius illud cap. *Odoardus*, non tam videatur positum, quam conseruatio, & defensio naturalis iuris. Si ergo huic etiam iuri in prædicta obligatione renunciatur, signum est non excusari quempiam ab hac censura propter impotentiam soluendi.

23. Hæc difficultas videtur potius probare renunciationem illam inualidam esse: nam conditio illa adeo est rigida, vt præter modum, & obligationem humanam esse videatur. Quia vero consuetudinem illam improbare non possumus, addimus distinguendum esse de impotentia simpliciter, & de impotentia morali soluendi: nam impotentia simpliciter sine dubio semper excusatur culpa non obstante quacunque obligatione, & consequenter etiam à censura, vt euidenter probant superius dicta. At vero impotentia moralis, licet per se suspendat, aut etiam tollat obligationem naturalem restituendi, iuxta communem doctrinam de restitutione 2. 2. qu. 62. art. vlt. tamen si intercedat renunciatio per proprium consensum, quo quis se obligat ad soluendum non obstante tali impotentia morali, fieri posse videtur, vt iam tunc illa impotentia non excuset à culpa in non soluendo, & consequenter nec à censura: nam illa impotentia non includit absolutam potestatem, sed adiungit difficultatem moralem, ad quam superandam, & vincendam, potest aliquis proprio consensu obligari. Sed, vt hoc tolerabilius fiat, adiungere oportet, in hac impotentia morali posse esse gradus, quia in congrua sustentatione in diminutione status, & egestate, in qua quis constituitur, si plene soluat, potest esse latitudo, Po-

Fr. Suarez tom. 5.

terit ergo quis obligari ad omnia illa, quæ non afferunt, vel grauem infamiam, aut indecentiam status, vel aliud simile nocumentum, etiam si cum huiusmodi graui damno nunquam soluere obligetur.

Ob hanc ergo causam potest iustificari renunciatio illius iuris cap. *Odoardus*, nam assignatio congruæ sustentationis ordinario modo facta solet esse nimis ampla, & retento fere integro statu, &c. Credi-derim tamen, quamuis post obligationem in forma Cameræ non possit Ordinarius vt illo iure, ipsum tamen Auditorem Cameræ, si ad eum accedatur, vt accedi debet, posse & debere tali debitori congruam sustentationem assignare, magis fortasse limitatam, sufficientem tamen ad decentiam status clericalis, & talis beneficii, vel dignitatis, quia hoc tam intrinsecam habet honestatem, vt nemo possit illa priuari: Maxime, quia cum non solum respiciat personam sed dignitatem ipsam, & ordinis clericalis decentiam, nemo potest illi renunciare. Ad vitandas autem huiusmodi molestias solent hi debitores impetrare Pontificium diploma, vt coram suis ordinariis vt possint fauore capituli, *Odoardus*, prout de iure possunt. Tamen vt hæc rescripta sint vtilia, adnertere debent, vt in eis ponatur clausula, *Non obstante quacunque obligatione in forma Cameræ*: quia alias per talem concessionem non impeditur facultas Auditoris Cameræ iuxta concessionem plurimum Pontificum, quas afferunt qui de hac re, & de rebus curiæ Romanæ scribunt. Sed de hoc casu hæc sufficiant, quæ hic adiungenda censuimus propter frequentem eius necessitatem, & vsum.

Duo notanda circa tactam difficultatem de impotentia ad soluendum.

15. A ntequam tamen hinc discedamus, circa hanc excusationem impotentie duo breuiter adiungere oportet. Vnum est, quando excommunicatio fertur, vt solutio fiat ad certum tempus, si illo tempore quis sit impotens: excusari quidem tunc à culpa, & consequenter ab excommunicatione, non tamen propterea præcepti, & excommunicationis vim prorsus extinguere, sed perseverare potius, & obligare ad soluendum, cum primum quis possit. Vnde, si quis veniens postea ad pinguiorem fortunam non restituat, vel non soluat, excommunicationem incurrit. Ita colligitur ex dicto cap. *Odoardus*, de Solut. Et ratio est clara, quia, vt in superioribus tactum est, ille terminus qui designatur, non est ad finiendam obligationem, sed ad differendam executionem eius vsque ad illum, & non ultra: & ideo si in illo termino non satisfis obligationi, siue ex impotentia siue ex quacunque alia causa, non propterea extinguitur obligatio, sed potius semper obligat ne differatur solutio, si fieri possit. Est enim iam tunc quasi præceptum negatiuum: non differendi amplius solutionem, cuius natura est vt pro semper obliget.

16. Alterum notandum est, de impotentia quæ non casu accidit, sed voluntarie, & ex malitia, vel negligentia incurritur, vel potius assumitur. Illa enim non videtur culpam, & consequenter, nec excommunicationem excusare. Vt, verbi gratia, habet quis dictam obligationem in forma Cameræ ad soluendum pensionem intra mensem, & nunc in principio mensis est, potens ad soluendum, nihil tamen curans de solutione pensionis omnia expendit, & ita fit impotens ad soluendum. Dico igitur hunc non excusari, quominus, si, præscripto termino elapso, petitam pensionem non soluat, excommunicationem incurrat. Ratio à priori est, quia ille reuera agit contra præceptum, & consequenter est contumax: sicut etiam agit contra præceptum de recitando officio, qui se reddit impotentem ad recitandum.

24. Quale red medium possit huic renunciationi adhiberi.

Qui statuto tempore est impotens soluendo si postea fiat potens est non soluat incurtere excom.

16. Non excusatur ab excom. imp ex malitia aut negligentia or. ta.

tandum. Item quia alias, qui malitiose omnia expēderet, & donaret, posset hac via euadere vim excommunicationis, quod nemo prudens diceret. Si autem malitia non excusat, neque etiam grauis negligentia cum sufficienti prauisione futuræ impotentiae, & consequenter cum prauisione moralis periculi non implendi quod sub excommunicatione præceptum est, excusabit.

17

Recolendum est autem in huiusmodi casibus, aliud esse tempus in quo delinquitur coram Deo, aliud vero in quo excommunicatio incurritur. Delinquit enim aliquis eo tempore quo sit impotens soluendum intra præfixum terminum, non incurrit autem excommunicationem, donec re ipsa talis terminus finitur non impleta obligatione: quia censura non contrahitur, donec omisso præcepti exterius consummata sit, vt supra dictum est. Quamuis autem causa omissionis prius posita fuerit: & ideo delictum tunc maxime fuerit commissum tamen omisso re ipsa consummata non fuit vsque ad præfixum terminum, & ideo vsque ad illum non incurritur excommunicatio: à qua non potest tunc impotentia excusare, quia, cum hæc fuerit voluntaria, non facit omissionem inuoluntariam: sed relinquit illam peccaminosam, & contumacem ex vi prioris causæ, etiam si fortasse iam tunc displiceat, quod non satis est ad impediendam excommunicationem. Nisi fortasse interueniat eiusdem iudicis autoritas, qui sicut potest, & debet absolvere eum, qui à contumacia recedit, etiam si prius deliquerit, ita etiam si congruo tempore ad eum fiat recursus, & impotentia sufficienter proponatur, & probetur, offerendo satisfractionem, vel cautionem possibilem, potest & debet suspendere excommunicationis censuram, etiam si illa impotentia ex iniqua causa manuerit. Pro qua iniquitate, & inchoata contumacia (vt sic dicam) poterit iudex conuenientem poenitentiam iniungere, non poterit tamen iuste subtractionem censuræ contrahendam denegare, sicut non potest negare absolutionem censuræ iam contractæ digne petenti: est enim eadem ratio.

SECTIO III.

Utrum excommunicatio lata ad finem reuelandi secretum, denunciandi crimen occultum, vel prodendi scripturam semper liget.

Ratio dubitandi.



Ratio dubitandi est, quia sæpe in causis propter quas feruntur hæc excommunicationes, nulla interuenit culpa, neque alia spiritualis causa, propter quam talis excommunicatio feratur: ergo illæ non ligant. Consequentia patet ex dictis sect. 1. & antecedens probatur, quia cogitur quandoque quis scripturam prodere, quam iuste apud se retinet, eo quod sua sit: solumque petitur, quia potest alij prodere ad causam, vel ius temporale ostendendum, quod intendit: ibi ergo nulla est culpa, nihilque spirituale, sed mere temporalis utilitas. In contrarium vero est communis vsus Ecclesiasticorum iudicum.

Regula ad cognoscendum quando excommunicatio ad hunc finem lata valida sit.

2
Quibus casibus excommunicatio sit valida

In hacre supponendum est has excommunicationes, neque iustas, neque validas esse posse, neque etiam in particulari obligare, nisi altera de duabus causis sæpe numeratis intercedat, scilicet, aut correctio à peccato commisso aut executio præcepti obligantis, & consequenter prauisione pecca-

tum committatur: hi enim sunt fines adeo intrinseci excommunicationis, quæ spiritualis & medicinalis pena est, vt fine illis subsistere non possit. Ex quo principio tres regulæ colliguntur contraferre doctrinæ superius traditæ, quæ per eas ad præsentem casum sufficienter applicatur. Prima est, quoties excommunicatio fertur ad hunc finem manifestandi veritatem, vel prodendi scripturam, in eo casu, in quo ante talem excommunicationem latam quis tenebatur, vel iure naturæ, vel alio quocunque ad illam veritatem, vel scripturam prodendam, talis excommunicatio ligat. Hæc regula facile patet ex dictis, quia tunc iam agitur de correctione fratris, qui dum obligationem non implet, quam tenetur, peccat, & in materia graui, vt supponimus: & ideo per secretum, vel publicam monitionem merito corripitur vt à peccato recedat. Quod finit, iuste etiam per excommunicationem compellitur. Exempla sunt. Primum, si quis propter commune bonum teneatur occultum hæreticum, aut sediciosum, vel alium similem Reipublicæ hostem superiori denunciare, iam tunc si aliquid huiusmodi sub excommunicatione lata sententiæ, vel generatim, vel speciatim, vel absolute, vel infra certum terminum præcipiatur, talis excommunicatio ligat eum, qui intra præscriptum terminum non obedit, per se loquendo, illud enim præceptum iustum est, & materia eius est grauis, & includit finem accommodatissimum ad censuram ferendam. Aliud exemplum est, si quis apud se habeat reconditam scripturam alienam, id est, in qua non solum agitur de alieno titulo, vel iure, sed etiam cuius dominiū, vel vsus ad alium spectat, tunc, si huic præcipiatur sub excommunicatione vt scripturam prodatur, sine dubio ligabitur, quia etiam seclusa excommunicatione ille per se tenetur talem scripturam reddere domino ex iustitia: quia sicut res alias, ita & scripturam retinere inuito domino contra iustitiam est. Vnde quoad hoc eadem est ratio de excommunicatione in hac materia lata, & de quacunque alia, quæ fertur ad soluendum debitum, vel restituendum alienum, de quibus supra dictum est. Vnde in huiusmodi censura ferenda, quando causa super quam fertur, mere temporalis est, & inter personas seculares, seruandæ sunt conditiones, & circumstantiæ in precedentibus sectionibus positæ, nimirum vt res sit grauioris momenti, & necessitas urgeat, vt pote quia non potest aliud medium applicari, vel quia tentatis aliis nullum inuentum est utile.

Sed dicit aliquis circa exemplum positum, Nullus tenetur ante præceptum iudicis testimonium ferre in causa aliena: ergo neque etiam tenebitur prodere scripturam, quæ non est, nisi veluti quoddam scriptum testimonium: ergo hoc titulo nemo potest excommunicatione ligari. Respondetur primo negando consequentiam, loquendo præcisè de obligatione iustitiae commutatiue. De hac enim, regulariter loquendo, verum est antecedens. Est vero differentia inter testimonium, & scripturam: nam scriptura est res exterior, & permanens, quæ cadit sub dominio alicuius, & ideo absque alio præcepto iustitia obligat, vt domino reddatur: testimonium autem consistit solum in actione propria, & ideo, dum non actu fertur, nihil est quod sub dominio alterius existere possit: quare iustitia ex se non obligat ad illud ferendum. Dixi autem, frequenter, quia si præcessisset pactum, vel promissio acceptata, & maxime onerosa, tunc iuxta modum obligationis posset aliquis teneri ex iustitia, vel fidelitate ad ferendum testimonium, etiam se se offerendo, si necesse sit: & tunc seruata eadem proportionem posset sub censura cogi ad pactum implendum.

Vnde vltius additur etiam si quis non teneatur ex iustitia commutatiua testimonium sicut scripturam proferre, posset tamen aliquando ex charitate teneri,

testimonium teneri, vt si ex defectu veri testimonii proximus graue damnum patiatur; & alius possit sine tali detrimento, vel difficultate veritatem aperire, & a fortiori si ea de causa commune bonum periclitetur, vel alia similis ratio interueniat. Hec autem obligatio sufficit, vt possit quis sub excommunicatione obligare ad testimonium ferendum: quia potestas Ecclesiastica, non solum peccata contra iustitiam, sed etiam contra charitatem cohibere potest, vt sumitur ex illis verbis Christi, Si peccaueris in te, & infra, *lucratu eris fratrem tuum*, quæ generalia sunt. Iuxta quæ dixit Innocentius III. in cap. *Nouit*, de Iudiciis, *Licet hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à vicio ad virtutem, &c.* Veruntamen hic modus obligationis, & consequenter etiam excommunicationis intercedere potest etiam in scriptura prodenda. Quod maxime contingit, quando non aliena, sed propria scriptura postulat: nemo enim tenetur, ex iustitia commutativa huiusmodi scripturam prodere: quia licet quis eam occultet, vel etiam comburat, non contrectat rem alienam, sed propriam, qua potest vti in quemlibet vsum. Quod si inde sequitur aliquod incommodum alteri non per se sequitur, sed per accidens, quia forte ille caret alio testimonio, quo suum ius probet: quod accidentarium est: nam ego non teneor ex iustitia conferuare, aut proferre scripturam, vt alter ius suum offendat; sed illi incumbit, propriam scripturam seu titulum sui iuris habere. Nihilominus tamen, si necessitas proximi grauis sit, eo quod sit in graui periculo grandis iacturæ bonorum contra iustitiam, & dominus scripturæ possit sine graui detrimento illam prodere, interdum ad hoc ex charitate obligabitur pensatis circumstantiis, & incommodis, quæ vtrique in huiusmodi rebus moralibus interuenire solent. Quia obligatione supposita, si accedat prælatus præceptum sub comminatione excommunicationis late sententiæ, clarum est obligationem augeri ex iusto præcepto; & interueniente contumacia post sufficientem monitionem, talem excommunicationem incurri.

Secunda regula.

Secunda regula est, etiam si non supponatur aliud de obligatio ad manifestandam veritatem, vel scripturam prodendam, ante quam prælatus Ecclesiasticus sub excommunicatione ipso iure incurrenda id præcipiat, potest tale præceptum esse iustum & obligans, & consequenter excommunicatio erit valida & post trinam monitionem iuste lata: ideoque qui tali præcepto non obediit, censuram incurrit. Hæc sequitur ex dictis in sectio i. ubi ostendimus prælatum Ecclesiasticum posse hanc excommunicationem etiam in hac materia imponere, non solum ad corrigendum peccatum iam commissum nec solum ad roborandam naturalem obligationem sed etiam ad statuendum proprium præceptum, & nouam obligationem. Quod si in aliis materiis habet spiritualis potestas hanc efficacitatem, non minorem habebit in hac, quæ ad veritatem reuelandam spectat. Nam ex parte ipsius Ecclesiæ potestas æque vniuersalis est, ex parte vero ipsius materie non est minor capacitas, quàm in aliis temporalibus causis: imo quo dammodo maior, quia veritatis manifestatio est adeo vniuersalis causa, vt sit veluti transcendens, & in omnibus aliis causis inclusa, quia vix potest illa iuridice terminari sine veritatis manifestatione. Vnde fit, vt hoc sæpe sit necessarium ad bonum commune, & ad executionem iustitiæ, sub qua ratione facile potest spirituale motum inducere seu participare, vt sub spirituali potestate cadere valeat.

Rursus, quia cura boni communis, & iustitiæ seruanda maior est in prælato, quam in subditis, ideo Fr. Suarez tom. 5.

sæpe fieri potest vt illi fines per sese considerati non obligent subditum ad sua instrumenta, vel suum testimonium offerendum, vt veritas eluceat; & nihilominus possit prælatus propter eosdem fines obligare speciali præcepto positiuo ad veritatem manifestandam, vel instrumenta, quibus probari possit, prodenda. Et confirmari potest à simili, nam sæpe aliquis non vocatus, neque interrogatus non tenetur testimonium suum ad iudicem ferre: nam hoc ad iudicis munus spectat, & per se loquendo, satis censetur huic negotio per potestatem iudicis prouisum. At vero postquam index aliquem vocat, eumque iuridice interrogat, obedire tenetur, ac testimonium ferre: quia præceptum est iustum, & obligationem inducens, quamuis antea non esset: ergo idem erit, si præceptum generatim imponatur: non est enim minus efficax, nec minus necessarius ille præcipiendi modus, quando iudicem latent personæ, quæ veritatem sciunt: & ideo non possunt speciatim & nominatim vocari: satis enim vocantur, & interrogantur sub illa generali appellatione, *Qui hoc sciueris*. Eademque ratio est de præcepto prodendi scripturam: nam illa etiam est quædam interrogatio veritatis cognita, aut per se, aut per scripturam vel quod perinde est quædam interrogatio veritatis aut de facto ipso, aut de scriptura continente factum: de qua etiam index habet ius inquirendi, & interrogandi. Vnde non refert quod talis scriptura propria sit: nam etiam testimonium est proprium, & nihilominus superioris præceptum obligat ad illud exhibendum: ergo obligare potest ad exhibendam propriam scripturam, quia dominus non propterea perdit dominium eius, neque vllum, neque aliquod graue incommodum inde incurrit, per se loquendo, ergo quando id est vtile alteri, seu bono communi, & index præceptum imponit, obligat ad scripturam etiam propriam manifestandam. Quod adeo verum censuit Soto in quarto distincti. 22. qu. 1. articulo 2. vt vix vllam excusationem admittat, quod qualiter verum sit, in sequenti regula videbimus.

Supposita igitur iustitia præcepti, reliquæ partes regulæ propositæ manifestæ sunt. Nam præceptum Ecclesiasticum, & iustum sanciri potest censura excommunicationis, supposita graui materia, & aliis circumstantiis ad debitum modum ferendi censuram necessariis: quas in huiusmodi causis interuenire posse, facile intelligitur ex dictis. Solum est circa hanc, & præcedentem regulam aduertendum, cum iudices Ecclesiastici possint vtroque modo hanc censuram ferre, scilicet, & nouam obligationem imponendo, & antiquam tantum exigendo, ad discernendum in particulari, vtro ex dictis modis feratur præceptum, consideranda esse verba præcepti, seu sententiæ. Nam, si absolute præcipiat proferre scripturas, ex quibus veritas in tali causa haberi possit, non determinando an sint alienæ, vel propriæ, nec supponendo peccatum in eo, qui illas apud se retinet, vel occultat ante tale præceptum, tunc signum est talem sententiam ferri ad inducendam nouam obligationem sub tali censurâ: & ideo, per se loquendo obligare, etiam si antea nullum peccatum esset talem scripturam retinere. At vero, si sententia feratur per verba, quæ culpam supponant: vt contra eos qui alienas scripturas apud se retinent, vel qui contra conscientiam, & absque Dei timore veritatem occultant, tunc signum est non ferri nouum præceptum, sed censuram ferri ad corrigendum peccatum vel ad extorquendam executionem prioris præcepti, seu obligationis.

Tertia Regula.

Tertia regula fit, quando huiusmodi excommunicationis ab homine lata, nec supponit grauem culpam

Soto.

7

Quomodo cognoscendum, an noua obligatio imponatur, an vero solum exigatur antiqua.

Dd 2

culpam

culpam in tacenda veritate, vel occultanda scriptura commissam, neque etiam supponit priorem obligationem ad talem actum, neque illam valet inducere, vel simpliciter vel in tali casu: tunc, etiam si quis non respondeat, seu obediat tali sententiae, non ligabitur tali censura. Hæc regula ita generatim sumpta per se evidens est, quia posita hypothese, quod in ea supponitur excommunicatio est nulla ex defectu causæ: quia si nec obligatio supponitur, nec de nouo inducitur, nulla committitur culpa, vel contumacia: ergo deest materia, & causa excommunicationis. Vt tamen facilius possit hæc regula ad praxim applicari, oportet aliqua exempla seu modos in particulari proponere, quibus id solet, vel potest contingere. Primus est si tale præceptum hominis iniustum sit, vel excedens humanam facultatem.

Primum exemplum.

Abbas Decius

Censetur autem esse tale, quando præcipit reuelare rem omnino occultam, quæ cedit in infamiam vel graue damnum alicuius, contra quem nec semiple-na probatio, nec publicus rumor, aut infamia præcessit. Item, si aliquis propria instrumenta, quæ apud se habet, & tanquam sua legitime possidet, in fauorem sui aduersarij prode re cogatur, absque alia speciali causa, iuxta cap. 1. de Probationibus, ubi Abbas, Decius, & alij id latius declarant. Item, si præcipiat denunciare fratrem etiam ante præmissam correctionem secretam, quando nec deest spes emendæ per illam viam, neque agitur de alterius damno, vel publico periculo vitando. Item (quod perinde est) si præcipiat denunciare delinquentem etiam si emendatus sit, & in futurum non timeatur periculum aliquod, nec damnum commune, vel tertiæ personæ. Qui talis, & similes sunt frequentes in hac materia, eos tamen exponere non est huius loci, in quo non agimus de conditionibus, quas lex seu præceptum in omni materia requirit ut iustum sit: hoc enim præcipue spectat ad materiam de iustitia, & per alias etiam vagatur. Sed agimus de conditionibus requisitis ut excommunicatio liget, quarum vna & potissima est ut præceptum sit iustum. Ob hanc ergo causam non disputabo hoc loco de fraterna correctione, & quando sit iniustum præceptum illius ordinem transiens, quæ ut exceptiones in hoc locum habeant, quod agitur in 2. 2. quæst. 33. Neque etiam disputabo quando iuste procedat iudex interrogando de delictis occultis, vel generatim omnino, vel speciatim omnino, vel speciatim ex parte delicti generatim vero ex parte personarum, vel e contrario speciatim de persona, & generatim de delictis eius; quæ omnia fusc tractantur in 2. 2. quæst. 67. vsque ad 70. & videri potest Soto in lib. 5. de iustit. q. 4. & sequentibus, & Nauarrus in cap. Inter verba, coroll. 64. & in Rubrica de Iudiciis à nu. 77. & in Summ. c. 18. n. 38. & sequent.

Soto. Nauarr.

Secundum exemplum.

Nauarr. Soto.

Secundum exemplum est, quando præceptum quidem Iudicis de se iustum est: tamen aliquis non potest illud exequi sine graui detrimento, tunc enim excusatur ab obligatione præcepti, & consequenter ab excommunicatione. Est communis opinio, ut patet ex Nauarro cap. 17. num. 57. ca. 24. n. 12. & c. 25. nu. 5. Soto Relection. de Secreto membr. 1. q. 6. dub. 5. Cordub. in Summ. qu. 63. & 64. Et ratio est, quia præceptum humanum non obligat cum tanto discrimine, neque esse debet de re nimis ardua, & difficili, ut constat ex materia de legibus, nili propter commune bonum aliquando id expediat, igitur, si sub excommunicatione præcipiatur alicui ut exhibeat proprium instrumentum in alterius commodum, & id facere non possit, sine magno detrimento, vel in vita, vel in fama, vel in alijs bonis, non tenetur scripturam exhibere, excepto casu publicæ necessitatis boni communis (quem semper exceptum esse suppono) confirmatur, quia iudex secularis in eo casu non posset iuste cogere talem personam ad exhibendam scripturam, vel si cogat ex falsa

sa presumptione, quia non credit detrimentum alterius, ille non tenetur parere, sed licet ei subterfugere, & occultare quantum potuerit, quia est nimis acerbum, & superans quodammodo humanas vires, obligare aliquem ad subueniendum alteri cum tanto damno & incommodo proprio: ergo nec iudex Ecclesiasticus potest in eo casu per censuras obligare, tum quia eius præceptum etiam est humanum, ideoque in eo procedit eadem ratio, vel etiam maior, quia decet esse eius præceptum magis pium, & moderatum; tum etiam quia, ut supra dicebamus, iudex Ecclesiasticus in causis solum vitatur sua potestate, quando secularis non potest, eo quod occultæ sint personæ: ergo non plus potest Ecclesiasticus iudex circa occultas personas, quam posset secularis circa manifestas. Quin potius tanta esse potest infamæ, aut aliorum bonorum iactura, ut à reddenda etiam aliena scriptura quempiam excuset: nam etiam alias res alienas non tenetur homo restituere cum tanto dispendio, ut ex materia de restitutione constet: ergo eadem ratione, nec scripturam reddere, aut manifestare tenetur.

Tertium exemplum est, si testimonium ferendum sit contra personam sibi valde coniunctam, licet edictum generaliter proponatur, ut quilibet reuellet paratorem talis delicti, & omnes aliæ conditiones ad iustitiam talis præcepti necessariae concurrant; nihilominus pater non obligatur ad reuelandum filium, aut e contra, nec maritus uxorem, aut e contra, nec frater fratrem, quia & id, per se loquendo est valde difficile, quia quodammodo est ferre testimonium contra se ipsum, & non est sine aliqua propria infamia, vel alio graui incommodo. Vnde in c. 3. 4. question. 3. ex lege 4. ff. de Testib. cauetur ne in iusto denunciatur, ut testimonium suum dicat aduersus socerum, generum, viricum, pringnum, sobrinum, sobrinam, sobrinum natum: eosque qui priori gradu sunt. Vbi etiam excipiuntur liberti, & patroni inter se, & respectu suorum cognatorum in eisdem gradibus. Si ergo leges civiles hos excipiunt, ne iudices seculares eos inuitos ad testimonium ferendum cogant, à fortiori Prelati Ecclesiastici, qui ferunt excommunicationes huiusmodi, quasi in subsidium & adiutorium ipsorum iudicum, quando ipsi non possunt procedere propter incertitudinem personarum, non debent neque possunt easdem personas excommunicatione obligare. De qua re legi potest Nauarrus in c. Inter verba, concl. 6. coroll. 66. an. 412. & in Summ. c. 14. n. 12. & c. 25. n. 49. Et ex eo colligi possunt limitationes, nimirum nisi in causa fidei, aut læsæ maiestatis, & similes, quæ non hoc loco, sed in materia de testibus explicandæ sunt.

Quarto à fortiori excusantur personæ omnes, quæ ita rem norunt, ut licite non possint eam reuelare, huiusmodi est in primis, qui talem rem in confessione nouit. Qui casus nullam admittit exceptionem, ut superius suo loco dictum est. Item qui rem nouit per consultationem secretam, aut ratione officij, quo obligatur ad defendendum ius talis partis, ut est aduocatus, aut procurator; quia alias non possent homines secure alios secreto consulere, aut per alios sua secreta negotia tractare. Excipiendum vero est, nisi quis velit, illo decreto uti in Reipublicæ perniciem, vel graue damnum alicuius proximi. De qua re late Nauarrus dicto Coroll. 66. Soto, & alij supra citati. Et huc etiam spectat (quod iidem auctores notant) si quis cogatur denunciare eam, contra quem nullum testem afferre potest: quia id potius est infamare, quam iuridice denunciare. De qua re est optima Pothius decisio in c. Qualiter, & quando, 1. de Accusationibus ibi, Exceptis occultis criminibus.

Quinto loco addere possumus excipi etiam eos, qui non comprehenduntur sub verbis edicti in proprietate sumptis, vel licet cortice verborum comprehenduntur.

prehendi videantur, non tamen re ipsa per legem
intenta, seu que intendi debuit. Hinc si per edictum
præcipiatur, vt qui habet talem scripturam, eâ pro-
dat, qui habet eius transumptum, non vero scri-
pturâ authenticâ, nō tenetur illud prodere, quia nec
sunt eadem, neque in iudicio facit transumptum æ-
qualem fidem, vt est vulgare in iure, item si quis
præcipiatur reuelare qui talem rem accepit, & mihi
constat per hunc accepisse, non tamen teneri ad re-
stituendam ipsam: quia non omnino iniuste, sed ad
recompensandum aliud debitum illam accepit, ille
non tenetur reuelare: quia reuera non scit quod in-
tenditur, vel intendi debet, scilicet iniustam acce-
ptionem, & ad restituendum obnoxiam. Eridem
est, si nouit alium quidem esse debitorem, seu rem
accepisse, nunc autem propter impotentiam excu-
sari à reddendo, etiam ipse excusabitur à denunciā-
do, vel manifestando: quia iam cessat formalis ratio
præcepti in re, vt dicti auctores docent. Idem est si
nouerit rem talem fuisse alienam, iam vero esse ius-
te præscriptam, seu vscaptam iuxta generalem
doctrinam de restitutione, & dominio, & videri
posse quæ Couarruuias tractat in reg. Possessor, §.
2. Nauarr. in Summ. cap. 17. numero 114. Qui ex parte
dissentire videtur, sed sine sufficienti fundamen-
to. Videri etiam potest Soto libro 4. de iustit. q. 5. ar.
4. & lib. 5. q. 3. art. 1. & 3. & Petrus Nauar. li. 3. de Rest.
cap. 1.

Ultimo est circa hæc edicta animaduertendum,
solere ferri sub certo numero dierum, ita vt intra
sex dies v.g. reueletur, quod præcipitur, sub excom-
municatione ipso facto incurrenda: qui numerari
debent ab eadem die, & hora, qua edictum profer-
tur, neque incurritur excommunicatio, donec tot
dies naturales integre compleantur: quia ille termi-
nus positus est vt in eo liceret differre executionem,
& consulere, & expendere quid & quo modo agere
oporteat. Vnde quamdiu ille terminus elapsus non
est, non potest talis persona vere dici contumax. At
vero elapso termino, & nulla interueniente iusta ex-
cusatione, statim incurritur excommunicatio: sup-
ponimus enim & fuisse hac intentione latam, vt i-
pso facto incurreretur, & modo iusto, vel saltem
sufficiente ad valorem eius, id est, cum debita præ-
monitione, & cum illa clausula iustificatiua, Si re-
grauatum senseris, intra talem terminum compareas, de
qua videri potest Nauarrus in c. Cum contingat, de
Rescriptis, & consil. 13. de Cler. excom. ministr. &
quæ de excommunicatione lata pro futuris culpis
notat Cauarr. in cap. Alma, p. 1. §. 10. nu. 4. & 5. & su-
pra etiam diximus tractando de censur. in commu.
Interrogabit autem aliquis, an, elapso illo termi-
no, cesset obligatio, vel semper teneatur aliquis
obedire edicto, nec possit absolui, donec illi satisfac-
iat. Respondeo, per se loquendo, & ex vi formæ ta-
lis præcepti obligationem durare, sicut præcedent.
sect. dixi de obligatione restituendi seu soluendi de-
bitum, quia ille terminus non est ad extinguendam
sed tantum ad differendam obligationem. Dico au-
tem, per se, &c. quia si intercedat ratio aliqua, ob
quam mandatum extinguatur, aliud erit, vti man-
datis moriatur: nam, vt superius tractauimus, excom-
municatio ab homine per sententiam lata, illo
mortuo, extinguitur. Idemque est si amoueat, vel
suspendatur ab officio: & si edictum in visitatio-
ne proferatur, solum censetur durare tempore
visitationis. Quamquam in hoc intentio præcipi-
entis, & vsus maxime attendendus est. Ex quo infer-
ri potest, si quis propter ignorantiam intra præfixum
terminum non respondeat, postea teneri ad com-
parendum, quando illi de mandato cōstiterit: quod
sine causa negauit Armilla verb. Excommunicatio;
num. 34. Et ratio est, quia illa obligatio durat: ergo
quamuis ille propter ignorantiam excusatus fuerit,
postea obligabitur. Probabili tamen censetur illi non
Fr. Suarez tom. 5.

teneri ad comparandum statim ac edictum nouit,
sed infra terminum æqualem in edicto concessum:
quia non debet esse peioris conditionis. Et eadem
ratione, si quis propter impotentiam, vel alia incō-
moda excusatus fuit, ne responderet, ablato impe-
dimento tenebitur postea, si præceptum nondum
est extinctum: & illi non oportebit nouum termi-
num concedere, quia iam habuit scientiam, vt pos-
set toto illo tempore deliberare, vel consulere, si nē-
cessarium esset.

DISPUTATIO XXI.

B De excommunicationibus Papæ reservatis in Bulla
Cenæ Domini.



Ccedimus iam ad explican-
das in particulari excommu-
nicationes ipso iure latas: quas
in duas classes principales di-
stinguimus, scilicet in eas quæ Papæ reservā-
tæ sunt, & eas, quæ Episcopales dici solent.
Rursus priores subdividuntur in eas quæ
in Bulla Cenæ singulis annis feruntur, & eas
quæ iure Pontificio latæ sunt, præsertim iure
cōmuni: quibus, si fieri possit, adiungemus
eas, quæ nonnullis decretis extra commune
ius quæ motus proprii dicuntur, latæ sunt;
qui motus proprii nouissime editi sunt, &
collecti Romæ à tempore Gregorij VIII. vs-
que ad Sixtum V. ultra quos & posterioribus
Pontificibus aliqui additi sunt. Ex eis verò
multi sunt in causis particularibus, vel ad
certas personas destinati, de quibus nihil di-
cere oportebit. Alij vero sunt leges perpe-
tux & pertinentes ad vniuersam Ecclesiam,
ex quibus, si non omnes, præcipuas tamen
excommunicationes ipso iure ferentes, an-
notabimus. In præsentī ergo disputatione
excommunicationes, quæ in Bulla Cenæ
Domini continentur, declaraturi sumus. Et
primum præambula quædam ad intelligen-
tiam totius Bullæ, & omnium sanctionum
eius præmittemus: Deinde singula capita
excommunicationum, & tandem ea quæ
post censuras in dicta Bulla adiiciuntur, de-
clarabimus.

SECTIO I.

Quales sint censura in Bulla Cenæ lata.



Vbiū non est de specie censuræ, quia
notum est in omnibus casibus illius
Bullæ præcipue ferri excommuni-
cationem maiorem, quamuis interdum
aliqua alia adiungatur, vt interdictū,
&c. quod præcipue fit, quando in communitatem
ferenda est censura, quia in illam non fertur excom-
municatio, vt suis locis annotauimus. Sed inquiri
potest de qualitate, & grauitate illius excommuni-
cationis. Et primo an censendæ sint à iure, vel ab ho-
mine. Olim enim censebantur esse tantum ab ho-
mine: quia non per modum statuti, sed per modum
cuiusdam sententiæ singulis annis proferuntur.
Vnde consequenter, mortuo Summo Pontifice,
Dd 3 totam

Verum ex-
communi-
cationis.
Bulla sint ab
homine, an
à iure.